

Altstädt. Gymnasium
Königsberg
1859

Bericht

über

das Altstädt. Gymnasium

zu Königsberg in Pr.

von Ostern 1858 bis Ostern 1859.

Womit zur

öffentlichen Prüfung der Schüler aller Klassen

am

12. April Vormittags von $8^1|_2$ Uhr und Nachmittags von $2^1|_2$ Uhr ab

und

am 13. April Vormittags von 9 Uhr ab

zugleich im Namen der Lehrer der Anstalt

ganz ergebenst einladet

der Director

Dr. Joh. Ernst Ellendt.

Vorangeschickt ist eine Abhandlung von Dr. Richter: De supinis Latinae linguae P. IV.

Königsberg 1859.

Druck der Universitäts-Buch- und Steindruckerei von E. J. Dalkowski.



Ordnung der Prüfung.

Dienstag, den 12. April, Morgens von 8½ Uhr ab:

Quarta:	1. Griechisch. Dr. Schaper.
	2. Latein. Dr. Möller.
Quinta:	1. Rechnen. Müttrich.
	2. Latein. Dr. Richter.
Sexta:	1. Biblische Geschichte. Dr. Retzlaff.
	2. Latein. Dr. Rumpel.
Tertia b.:	1. Naturkunde. Schumann.
	2. Griechisch. Dr. Ellendt.

Nachmittag von 2½ Uhr ab:

Tertia a.:	1. Latein. Fabricius.
	2. Griechisch. Dr. Rumpel.
Secunda b.:	1. Latein. Dr. Retzlaff.
Secunda a. b.:	2. Geschichte. Dr. Möller.

Mittwoch, den 13. April, Morgens von 9 Uhr ab:

Secunda a.:	3. Französisch. Dr. Schaper.
Prima:	1. Mathematik. Schumann.
	2. Latein. Dr. Schaper.

Nach der Prüfung und einer Lateinischen Rede des Abiturienten Meyländer erfolgt die Entlassung der Abiturienten durch den Director.

Zum Schluss wird der Singchor einige Gesänge vortragen.

De supinis Latinae linguae.

P. IV.*)

Caput XIII.

De iis, ex quibus supina in tu terminata pendent.

§. 72. **A**djectivorum, quibus supina finitionis causa addi solent,

1. longe plurima pertinent ad animi sensuumque perceptionem ut *acerbum, asperum*, dignum et indignum [194], *grave*, *honestum*, optimum, pulchrum, jucundum, *gratum*, *turpe*, *foedum*, *parvum*[195]), aliaque similia cf. §. 74. Ab his non admodum diversa videntur, quae in grammaticis commemorari non solent: *aridum*, *fervens*, *frigidum* et *gelidum*; *salsum*, *cumminosum*, *resinosum*, *eburneum*; *canum*, *nigricans* et fortasse *viride*; *pestiferum* et *pestilens*; denique crebrius inventa, ut *molle* et *durum*, propria significatione. —

2. Alterum genus est eorum, quibus aliquid fieri vel sentiri aut posse aut non posse vel vix posse significatur. Ex his facile et difficile[196]) omnium

---

*) Hanc extremam partem antecesserunt P. I 1856, P. II 1857, P. III 1858, De prima qui judicium fecerunt, R. Dietschio (Jahnii annal. 1856 pag. 565) et A. Lentzio (diar. antiq. ed. Caesar. 1856 p. 179—184), viris doctissimis maximas gratias ago.

194) Aliter Kuehner. gramm. lat. §. 130. 3 et Madvig. §. 412. adn. 2 (ed. I.)

195) Dubito, num recte attulerint Kuehner l. c. *molestum* et Zumptius *memorabile* (cf. supra §. 67 *dictu mirabile*).

196) *facile factu* crebro positum esse non mirabimur, si meminerimus, nonnusquam sic supra necessitatem abundare orationem; cf. Plauti Pers. V. 1. 8: omnes hilaros — *faciam* ut *fiant*; Sall. Cat. LII. 53: eo *fit*, ut impetus *fiat* in vacuam remqublicam; Cic. Offic. I. 21, 71: quorum jucium — *difficile factu* est *non probare*; v. Timae. XI. in; N. D. III. 1, 1.

adjectivorum saepissime cum supinis connectuntur. Quibus adjungo usu proxima credibile et incredibile. Sequuntur *arduum*, *asperum* et *durum*, significatione translata, *obscurum* et *dubium*, *novum* et *inopinatum*, *mirum* et *mirabile*, *impossibile*; *promtum*, *pronum* et *proclive*; *breve* (responsu), *planum*, *vendibile*.

3. Restant nonnulla — locum, ordinem, tempus significantia, ut *simile*, *dispar*, *congruens*; *proximum*, *posterius*, (*prius cf.* 75), *tardum*, *morosum*; *rarum*, *crebrum*, *assiduum*, *sempiternum*, *constans*, *mutabile*[197]).

§. 73. In eodem numero fuerunt paucula substantiva adjectivorum modo cum supinis copulata: fas, nefas, scelus, opus est. Horum quam similis sit ratio, quum in promptu est[198]), tum locis ejusmodi cernitur, qualis est Vergilianus Aen. III 365: sola novum dictuque nefas Harpyia Celaeno | prodigium canit.

§. 74. Adde solitarium pudet dictu Tac. Agr. 32, ad eandem illud analogiam referendum[199]), cf. Tac. hist. II. 61: pudendum dictu; v. Quintil I. 2, 8 et VI. 4, 7.

Restant verba prorsus alio modo cum supinis juncta: cubitu surgere, obsonatu et venatu redire, de quibus supra dixi §. 3.[200])

§. 75. Illa omnia, ut essent uno in conspectu, ad literarum ordinem collocanda existimavi, eam operam sane molestam haud inutilem fore arbitratus iis, qui sermonis latini consuetudine uterentur*).

(*Absonum* modulatu et cantu Fronto, cf. §. 65, 2.) Absurdum cognitu Tac. — Acre visu Lucr. — Acerbum auditu Cic., Val. Max.; *peracerbum* gustatu Cic. — toleratu Appul. — Aequum factu Plaut. — Affabilis dictu Verg. — Altissimum visu Verg. — Ambiti(osum) concessu Fronto. — Apertius dictu Arnob., intellectu Censorin. — Arduum aditu Liv. (sic), adspectu Plin.; cognitu Appul. — (a. dictu pro tardum d. scrips. Harduinus ap. Plin); effectu Tac.; factu Liv., Aurel. Vict., Appul., Spartian., imitatu Valer. Max., inventu Plin. —

197) Singulare est: parvi auditu aestimo, si modo recte scriptum est, v. §. 69.
Hoc quidem per se intelligitur, ejusmodi adjectiva etiam in gradu comparativo inveniri vel intendi particula magis, ut: multa dictu magis pudenda Plin. H. N.; vel componi particulis per et prae, velut: perfacile factu, perdifficile, praegrande, praetenue. Id quoque consentaneum est, participia quaeque iis similia sint, eandem esse rationem secuta, ut: *congruens*, *constantius*, *eminens*, *fervens* cf. §. 75. *evidens*, *refulgens*. — Haud solitum, *promtum*, *apertius*, *ornatius* cf. *inopinatum*. — *Vix auditu ferendum*, *fastidiendum*, *refugiendum*, *horrendum*, *miserandum*, *pudendum*; cf. *nefandum*, *infandum*. —

198) Comparo cum illis adjectiva: *aequum*, *probum*, *honestum*, *religiosum*, *verecundum*; *nefandum*, *nefarium*, *infandum*. *Necessarium*. —

119) Non magis offenderet, si Vellejus, qui II. 114 scripsit: *rem dictu non eminentem*, aliquo loco dixisset: *res dictu non eminet*.

200) A. Lentzius in censura P. I. hujus commentationis (Zeitschrift für Alterthum 1856) pag. 180 non demonstravit falsum esse, quod dixeram, inter *cubitum* ire et *obsonatu redire* non modo declinationis sed etiam relationis intercedere similitudinem, inter *cubitum ire* et *difficile dictu* declinationis tantum. Hoc quidem concedo, grammaticos antiquos exempla supinorum afferentes illud rarius genus non attigisse.

*) Plin = Plin. hist. nat.; Sen. = Seneca philos.

Aridum adspectu, visu Plin. — Asperum accessu Pompon. Mela, adactu Lucr., attactu Varro, auditu Val. Max., dictu Quintil., factu Spartian., (Sall.) ad Caes., tactu Lucr. Hor. Plinius, tractatu Quintil. Plin., victu Verg. Pomp. Mela. — Assiduum proventu Plin. Atrox visu Nazar. —

Blanda precatu Stat. Bonum dictu Enn. — *melius* petitu, vitatu Hor. — *optimum* cultu Plaut., factu Plaut. Caes. Cic. Liv. Senec. Tac. Curt. Appul. Solin. Flor. (Sall.) Ep. ad Caes. — habitu Plaut., scitu Macrob., usu Vell. — Breve responsu Cic.

Canum adspectu Plin. — Celebre auditu Curt. — Celere proventu Plin. Clarum dictu Plin. Commodum auditu Auct. ad Herenn. cf. Pallad. de re rust. I. 2 Congruens compositu Appul. — Constantius motu Cic. — Creberrimus egressu Lat. Pac.; nexu Grat. Fal. Credibile: vix c. dictu Tac. Curt. Plin. — vix c. memoratu Tac. cf. incredibile. — Crudele auditu Cic. — Cumminosum (al. gummosum.) tactu Plin. —

Deforme dictu Quintil. cf. habitu et cultu Granius Licin, visu Ovid., Tac. — Delectabilior questu tibia Appul.) Deterrimum potu Gell. Difficile aditu Sall. Liv. Tac. Vellej. Curt. Flor., adspectu Plin., cognitu Cic. Macr, collectu Plin., concoctu id., dictu Cic., Quintil., Flor., digestu Macr., enarratu Plin., factu Cic., Hirt., Val. Max., (Sal.) ep. ad Caes., Appul., Eumen. — inventu Auct. ad Herenn.. Plin., Censor., migratu Liv., moderatu Liv., perceptu Macrob., perpessu Cic., probatu Cic., textu Plin., toleratu Cic.; tractatu Auct. ad Herenn. Liv. Plin., transitu Liv. Curt. — transitu perdiffic. Liv. — cf. facile. *Dirum* v. praedirum. Dignum adnotatu Val. Max., auditu Gell., cognitu Tac. Suet. Plin., cultu Lact., defensu Sall., dictu Liv. Plin. Gell., Solin., inquisitu Macrob., inventu Senec. Macr., memoratu Liv. Val. Max. Plin. Tac. Solin. Appul. Macrob. Capitolin. Lamprid., Aurel. Vict., Nazarius, Lat. Pac. — quaesitu Macr. (Gell?); relatu Verg. Ovid. — risu Lactant., scitu Macrob., tractatu Tac. Macr. cf.: indignum. Dispar effectu Ovid. v. par. — Dubium ascensu Propert., nisu Sall. — Dulce auditu Liv., cantu Calp. Sicul., esu Fronto, haustu Solin., potu Gell. (sic). Durum cultu Liv., tactu Plin., tractatu Liv. —

Eburneum adspectu Solin. — (Efficax — cibo et potu Plin. inlitu potuque efficacissima. Id.) — Eminens Vellej. — Evidens compertu (sic) Appul. —

Facile accessu Arnob., aditu Curt., captu Macrob., cognitu Cic. Tac. Fest., Macr., conspectu Colum., cursu Olymp. Nemes., decussu Plin., defensu Sall. depromtu Macr., dictu Ter. Cic. Liv. Colum. Plin. Tac. Curt. Gell. Fest. Arnob. — digestu Macr. — cf. divisui Liv. 45. 30. 4; effectu Appul.; existimatu Liv. expurgatu Ter., factu Plaut. Ter., Cic. Sall. Caes. Liv. Tac. Gell. Appul. Macr. Fest.; gestatu Plin., hauritu Appul., intellectu Cic., Auct. ad Her., Nep. Hirt. Tac. Gell. Appul., Lact., inventu Plaut. Cic. Plin. Macr. Gell., mutatu Tac., notatu Plin., obtentu Lact., paratu Mamert., perspectu Fest., persuasu Macr., portatu Plin., promtu Appul., purgatu Plin., quaestu Lact., recursu Olymp. Nemes., relatu Liv., repertu Solin., responsu Macr., scitu Ter. Liv., transitu Val. Max., translatu Liv., tritu Plin., cf. facilior usui Tac. G. 5 fin. victu (a vivendi v.) Verg., Seneca, visu Sall. Verg. — *Perfacile* cognitu Cic., factu Caes. cf. difficile. Familiaris affatu Arnob. — Fas auditu Tac. dictu Cic. cf. nefas. — Fasti-

diendum dictu Val. Max., Plin. — (Felix eventu — opus Vell.), *Vix* auditu ferenda Censorin. — Ferum visu dictuque Sil. — Fervens gustatu Plin. Fetiferum potu Plin. — Foecundum usu Appul. — Foedum adspectu Juven., auditu Cic., dictu Liv. Juven. Vellej., Plin. minor, Seneca., — exitu et inceptu Liv. prolatu Arnob., relatu Ovid. Frontin., visu Cic Liv. Juven. Plin. Formidulosum dictu, esu Plaut. (Forte conatu-opus Vell.). Frigidum haustu Plin., tactu. id. Frivolum dictu id. —

Gelidum Plin. Grandis natu Plaut. Ter. Cic. Hor. Sen. Rutil. Lup., Plin. min., Suet. Gell. — *praegrandis* natu Liv. — Gratum adspectu Plin. Lact., auditu Val. Max., Tac. Appul., dictu Liv. Plin.; haustu Plin. (Gravidum visu vulg. scr. ap. Rutil. Lup.) Grave auditu Liv., Val. Max., Rutil. Lup., Plin. min., Appul., (conatu quam effectu gravius Liv.) dictu Attius; (R^2 a Plin. H. N. 26 §. 14); intellectu Val. Max., natu Terent., portatu Plin., tactu Sil., toleratu Senec., (visu Hemsterh. conj. Rutil. Lup.) (*Gummosum* cf. cumminosum).

(*Hilarior* intuitu var. scr. Plin.); Hispidum adspectu Plin. — Honestum datu Fronto, dictu Liv. Appul., factu Cic. Cael., postulatu Fronto, susceptu Lactant. cf. inhonestum. — Horrendum adspectu Hor., dictu Verg., relatu Ovid., visu Verg., Sil. Horribile dictu Flor. Horridum adspectu Plin., Sen. attractu Seren. Samon. (cf. cultu Ovid.). — Humanum factu Ter., inceptu id,

Immane dictu Flor., (Sall) ad Caes. visu Val. Flacc. — Immundissima adspectu Plin. min. — Impium dictu Lamprid. (Casaub.) — Impossibile factu Arnob. Improbum dictu Lact. — Incredibile auditu Hirt. Curt., dictu Cic. Nep. Plin. Curt. Flor. Solin. Arnob. — factu Poeta ap. Cic. — memoratu Sall. Solin. — Victu asperi incultique Pomp. Mela. — Indecora visu Plin. — Indignum auditu Liv. — memoratu Gell., Capitol., Aurel. Vict, Nazar. — relatu Verg. Plin. Solin., toleratu Macrob. (visu Liv. var. scr.) — Infandum dictu Seren. Samon., Lact., memoratu Appul. — Infesta flatu Plin. — Ingens visu Tac. — Ingratum visu Plin. — Inhonestum dictu Tac., factu Tac. (Peerlk. dictu). — Innoxium tactu Verg. — Innumerabile dictu Cic. — Inopinatum Cic. — Insalubre potu Plin. Curt. Insigne visu Plin. — Insuave sonitu Gell. Integrum adspectu Quintil. — Intolerabile auditu Val. Max. Inutile cognitu Gell. Macr., factu Hor.

Jucundum adspectu Plin., auditu Cic, Plin. min — cognitu Cic., Val. Max., Plin. — dictu Plin. — (esui Colum.) haustu Fronto. impetratu Id. — relatu Plin. min.-visu Id.

Laetius fructu Cic. — Lene auditu Gell., dictu id. pronunciatu audituque id. — Lepidum memoratu et cognitu Inscr. Gellii — l. memoratui Plaut. — Leve dictu Liv., memoratu Tac. (Longinquior — significatu sc. buccina Appul.)

Magnum memoratu Liv. — *Majus* adspectu Plin., auditu Curt., miratu Plin., natu v. §. 67, 2. — Maximum dictu Plin., (eventu-maximum sc. bellum Flor.) natu cf. §. 67, 2., quaesitu Boeth.

Malum dictu Enn., factu Lact., tactu Lucr. Verg. — *Pessumum* aggressu Plaut. (potui Gellii inscr.). — Manifestum adspectu Plin., visu tactuque Quint. — *Maximum* cf. magnum. *Melius* cf. bonum (*memorabile* dictu pro mirabile var. scr. Liv.). *Minus, minimum* v. parvum. — Mirabile auditu Cic, dictu Cic. Verg.

Ovid. Liv., eventu Liv., inventu Plin.; visu Varro Atac., Verg., Hor., Ovid., Liv., Colum. — Mirandum elaboratu Appul. — Mirum dictu Tac. Quintil. Plin. Appul. Flor., Grat. Fal. — Miserum memoratu Plaut — Miserabile visu Ovid. Verg. Petron. in vers., Stat. Miserandum auditu Liv., cultu Verg.. dictu Plin. Min. — Modicum Quintil. Molle dictu Sil., fatu Verg., tactu Cic., Senec., Plin., Grat. Fal. — Morosum natu Plin. — Mortiferum contactu Plin. Mutabile usu Inc. Paneg.

Necessarium dictu Cic., Plin., Aquil. Rom., scitu Appul., usu Curt.. Vell. Solin. Nefandum dictu Lamprid. — Nefarium auditu Arnob., visu Cic. — Nefas dictu Cic. Verg. Ovid. Macr. Lact. — visu Ovid. cf. fas. — (*nefastum* Statii silv. V. 5. 35: me cantuque habituque nefastum) (*nobilis* natu var. scr. ap. Macr.) (visu *nota* Freinsh. scr. Tac. Germ. 31. pro *nova*). Novum auditu Val. Max. Appul. dictu Latin. Pac., visu Tac. — (venena vel potu vel ictu vel morsu *noxia* Plin. H. N. 32 §. 45 cf. innoxium).

Obscurum factu (Sall.) epist. ad Caes. — (*Obscenum* pastu Plin.) (*obsoletissimus* vestitu Appul.) Usu obvia Gell.. visu obvia Heinsii scr. Tac. Germ. 31 pro *nova*. — *Optimum* v. bonum. — Opus est dictu Ter., fletu Tibull., jactu Ter. Fronto; promtu Plaut., scitu Cic. Appul. Symmach. (dictu quaesituque cod. Torn. ap. Gell. 14, 2, 16 pro dicto quaesitoque). Nihil ornatius adspectu Cic.

(*Par* cantu Calp. Sic. v. dispar). Parvum: parvi auditu existimet Cic. dictu Liv. Plin. Curt. Flor. cf. parva et levia memoratu Tac.; natu Plaut. — *Minoribus* dictu prodigiis Liv., Plin., m. natu Varro Cic. Liv. Vell. Suet. Fronto, Gell. *Minimus* n. Cic. Liv. Pavidum auditu, visu Colum. *Peracerbum* v. acerbum. *Perfacile* v. facile. Periculosum dictu Fronto, ingressu Sen. *Perrarum* cf. rarum. *Pessimum* v. malum. Pestiferum potu Plin., tactu id. Planum aditu Liv. Posterior natu Gell. Praedirum dictu factuque Ammian. *Praegrande* v. grande. *Praetenue* v. tenue. Primaevum visu Stat. (*Prior* nuptu Stat. v. infra additam. ad §. 67. 1. *nuptu*. — cantu Calp. Flacc): Quod probum honestumque sit — datu — postulatu Fronto. Proclive dictu Cic. — Prodigiosum dictu Tac. — Promtum actu Sall. Appul. — Pronum dictu Lact., effectu Tac., rescriptu Tac. — Prosperum eventu Liv. Proximum occupatu Tac. Pudendum dictu Tac. Quintil. Plin. Lact. Lampr. Pudet dictu Tac. — Pulchrum adspectu Cic. Quintil., auditu Quintil., dictu Tac. Juven. Macr. Gell., visu Stat. —

Rarum (aditu Dujat. Liv. III 36, 2.) adspectu Lact., cognitu Appul., conspectu Plin., dictu id., egressu Tac., inventu Plin. — *Perrarum* inventu id., visu id. Redire obsonatu Plaut. venatu Stat. — Refugienda auditu et visu Senec. Refulgens suspectu Plin. — Religiosum dedicatu Appul. cf. §. 65, 1. — Resinosum tactu Plin. Ridiculum auditu, iteratu Plaut. dictu Appul. Rude visu id.

(Visu *saeva* pro v. *nova* Hiller. scr. Tac. Germ. 31). — Salsum gustatu Plin. Saluberrimum fotu id. (al. potu). haustu Solin., potu appositaque Seren. Samon. — Scelus est dictu Prudent. (*Secura* habitu Appul.). Sempiternum usu Eumen. — Serius dictu Hor. — Simile adspectu Plin., Inc. Pan., effectu Plin. — Simplex ovum visu Macr. — Haud solitum visu Stat. — Speciosum dictu Liv. Quintil. Curt. — Splendidum relatu Valer. Max. — Spurcum adspectu

Lucil. Suave auditu Lact., (haustu K. Plin. H. N. 31. §. 40.) potu Plin. — Surgere cubitu Cato. —

Tantus natu Plin. — Tardum (cognitu nonn. mscr. Appul.) dictu Plin., proventu id. Tenue aditu Pomp. Mela. textu Lucr. — *praetenuia* tactu Plin. — Terribile adspectu Cic. affatu Stat., occursu Plin. min., visu Verg. Plin. min., Stat. — Tetrum adspectu, auditu Cic., dictu profatuque ipso tetrae Gell. Torvum visu Tac. — Triste Plin. cf. Germaniam — tristem cultu adspectuque Tac. Germ. 2., eventu Liv. — Truculentum visu Tac. Trux tactu Plin. Turpe adspectu Plin. min., dictu Ter. Cic. Ovid. Tac. Flor., factu Cic. Gell., fatu Priapea., inceptu Ter.

Utile cognitu Gell., factu (Sall.) Ep. ad Caes. Gell. — fotu Plin. intellectu Appul. monitu Gell. perflatu Plin., potu id. suasu Gell. cf. inutile. —

Variatior concentu lyra Appul. — Vehementius ictu missuque telum Liv. — vehementiores effectu viribusque Plin. — Venerabile auditu Tac. Appul. visu Tac. — Verecundum dictu Lampr. (*verum* compertu Appul. cf. verius atque apertius dictu Arnob.) Vetus inventu Plin. (adspectu *viridior* Dalec. ex Diosc. I. 77 scribi voluit Plin. XII §. 69; cultu virides juvenesque Plin.) (*visendus* cultu Appul.). —

Caput XIV.

Num pendeant ex supinis alteris nomina vel enunciata.

§. 76. 1. Supinum in tum desinens assumit casum eum, qui verbis, unde est ortum, additur. Qui si cum altero aliquoties videtur copulatus, ut Cic. de Inv. I 20. 28: *et si non longius, quam* quod *scitu opus est, in narrando procedetur*, aliter est explicandus. Illud enim quod, nisi loco ejus a Lambino conjectum quoad cum Schuetzio scribendum est, subjecti, quod dicitur, tenet vices[201]). Praepositionum quidem laxiore vinculo supinis nomina aliquoties subjiciuntur, velut Cic. ad Fam. I 7. 1: Quod scire vis, qua quisque in te fide sit et voluntate, *difficile dictu est de singulis*; id Lael. III. 12: *quo de genere mortis difficile dictu est.* Multo etiam laxius Plin. H. N. XI. 51. 112. 270: Mira — sunt *de voce* digna dictu. —

2. Praeterea difficile dictu et similia enunciationibus aut infinitivis, qui sunt cum accusativis copulati, tanquam subjectis, quae vocant, sunt obnoxia,

201) Pariter Cic. Timae. 2: quod ne dictu quidem fas est, etc. — Idem de simili locutione, dicendum videtur: mi istuc primum exquisito est opus Plauti Amph. II 1. 81 cf. II 2. 159. Caton. R. R. 2., Gell. XV. 22. 9. Quamquam ib. XIV. 2. 16 od. Hertz, si modo recte scriptum est: *debeatne judex inter cognoscendum ea*, quae dicto quaesitoque opus est, *dicere et quaerere* voc. *quae* accusativum objecti esse liquet. (Cod. Tornaesianus: *dictu quaestuque*, in ed. 1621 apud Joa. Tornaesium: *quae dictio quaesitioque opus est*). Quasi praeteriens commemoro, loco Naeviano ap. Fest. pag 170. M. Ribb. 65: *quam* quo *scito opus*, ut Plautino Rud. II 3. 64: *jam* istoc *magis usus facto est* dubitari posse, sitne rectus an sextus casus statuendus.

ut *difficile dictu est, quid sit verum*, idem quod d. est dicere, q. s. v. cf. supra §. 6 extr. Similiter ponuntur: *facile*, *proclive*, *credibile*, *incredibile*, *mirum*, *immane*, *tardum*, *fas*, *nefas est*. —

a. Raro in hoc genere invenitur accusativus cum infinitivo, ut Cic. Tusc. II 7. fin: difficile dictu videtur, eum non in malis esse cf. Offic. II 20,69. Auct. ad Her. IV. 33. 45; Curt. X. 5 in.: incredibile dictu audituque — durasse etc. Cic. Cato V. 13: nefas est dictu, miseram fuisse — senectutem. Infinitivus *praecedit* Liv. 23, 15, 11: eum — habere, inde existimatu facile esse, cf. Macr. Sat. VII. 12. 5. —

b. Saepius ejusmodi enunciata pronominibus et particulis interrogativis annectuntur: Cic. orat. part 25, 88: facile est intellectu, quae sint contraria. Enunciatio primaria *sequitur:* Liv. VII. 8. 4, Plin. H. N. 35 §. 90. Censorin. de die nat. 23, 6. Cic. N. D. II. 55. 138: quemadmodum — depellantur — haud sane difficile dictu est, v. Orat. 35. §. 122. — Lact. VI. 25 8: Quomodo — utatur, intellectu facile est. — Saepius postponitur enunciatio secundaria: Appul. Apol. 402: facile intellectu cuivis fuit, qualisnam accusatio futura esset. — Cic. de imp. Cnei Pomp. 22, 65: difficile est dictu —, quanto in odio simus cf. Offic. II 14. 48, Tac. hist. II 83, Quintil. XI. 2. 43, Curt. III 6. fin. — Decl. Ep. ad Caes. 2 fin.: immane dictu est, quantum et quam multi-discesserint. Ter. Hec. III 11. 15: cuivis facile est scitu, quam fuerim miser cf. Cic. Verr. IV. 56. 124, pro Cluent. 69. 198. Sall. Cat. 6 et 7, Jug. 40, 3, (altero enunciatorum ordine: Nep. Dio X. 5.) Tac. hist. I 79. med: mirum dictu, ut sit, cf.: Solin. 29. 2. — Cic. pro Cluent. 9. 26: utrum-an difficile dictu est; Nep. Att. XV. 1: ut difficile esset intellectu, utrum-an, cf. Cic. de imp. Pomp. 14, 42, Liv. Epit. 80. — Prior particula non est posita Tac. hist. I 69: haud facile dictu est, — minus placabilem imperatorem an militem invenerint; Plin. H. N. 23 §. 31: cum sit tardum dictu pluribus prosit an noceat cf. 28 §. 20. Et particula ne: Liv. II 34, 12: haud facile dictu est, faciendumne fuerit. —

c. Pronomen relativum: Cic. Lael. XVII. §. 64: ad quas non est facile inventu, qui descendant. (Sic Klotz. Seyff. al., vulgo descendat.)

Caput XV.

Quomodo supina posteriora conjungantur, collocentur, et cum similibus constructionibus copulentur.

§. 77. Semel in ablativum explicandi causa praemissum incidi: Plin. H. N. III 1. 3. 7: ex his digna memoratu aut Latiali sermone dictu. (dicto R.).

§. 78. Fit interdum, ut singula supina adjungantur binis adjectivis, quae aut *contraria* significant, ut Ennii Ann. 245 ap. Gell. XII. 4: cuncta simul malaque et bona dictu | evomeret. Verg. Aen. IX 595: digna atque indigna relatu | vociferans. Cic. Off. I 3 9: honestumne factu sit an turpe, aut *similia*, supinis modo in ultima sede collocatis, ut Liv. VI. 37. 1: haec indigna miseranda-

que auditu; Tac. Ann. IV. 32.: parva *forsitan* et levia memoratu; Plin. Ep. X. 108. 1. (cloaca) turpis et immundissima adspectu, cf. (Sall.) Ep. ad Caes. II 1. — Lampr. Hel. 8: nefanda, *immo potius* impia dictu (Casaub.); modo praemissis: Varron R. R. II. 5. 8; corium attactu non asperum ac durum; Cic. Parad. V. 3. 35: dictu inopinatum atque mirabile; Plin. H. N. 28 init.: pleraque inventu rara ac difficilia; Ib. 26. §. 14: multa dictu grata atque jucunda; Gell. XVI. 6. 13: dictu facilius leniusque.

b. Bina supina cum singulis adjectivis conjuncta vario modo collocantur, aut ἀσυνδέτως, ut Plauti Cas. V. 2. 6: ita ridicula auditu, iteratu ea sunt, conf. Wichert. lat. Stillehre pag. 457 a. fin., aut *particulis connexa*, velut: Cic. de or. I. 8. 31: jucundum cognitu atque auditu cf. Gell. praef. in., inscr. cap. III. 16. Macr. Sat. VII. 16. 2: inquisitu et scitu digna res cf. Tac. Ann. II. 72. Curt. X. 5: incredibile dictu audituque cf. Sil. I. 175, Gell. II. 29 in., XV. 3, inscr. XVI. 8; Hor. Sat. I. 4. 115: Ter. Andr. I. 5. 1: humanum factu aut inceptu. Liv. 21. 32. 7: cetera visu quam dictu foediora cf. 38, 5, 9. Gell. 17. 1. 2: neque dictu neque auditu digna cf. inscr. Gell. 18. 6.— Plin. Ep. V. 6. 3: quae et tibi auditu et mihi relatu jucunda erunt cf. Lact. VI. 6. 8, Macr. Sat. VII. 16. 2. — Cic. Phil. II. 25. fin.: O rem non modo visu foedam sed etiam auditu; Valer. Max. VII. 6. in.: multa non intellectu tantum sed etiam auditu gravia; et alteris particulis omissis: Plauti Pseud. III. 2. 35: formidulosas dictu non esu modo; Cic. Phil. V. 7. 18: illud vero teterrimum auditu non modo adspectu. Sic Garaton. et Orell., alii cum Vatic.: non m. aud. sed e. ads. —

c. Semel duobus adjectivis ita adjuncta sunt duo supina, ut sit horum alterumutrum ad utrumque illorum referendum: Fronton. Epist. ad amic. I. 5. 5 Nieb. p. 190: nisi quod probum honestumque sit et tibi datu et sibi postulatu.

d. Hic locus me monuit, ut de generali supinorum in $\overline{tu}$ cadentium collocatione disputarem. Quae quum sint artissimo vinculo cum adjectivis aut substantivis, ex quibus pendent et quibuscum unam quasi efficiunt notionem, conjuncta, proximam ab iis sedem tanquam propriam videntur obtinere. Saepissime apud plurimos certe scriptores postponuntur[202]), ut apud Ciceronem, qui perraro anteposuit veluti Verr. 74. 182, de sen. XV. 53, Timae. X. in., de inv. I. 20. 28[203]) Non saepius praegrediuntur apud Tacitum, ut Ann. II. 14. visu torvum cf. 72, VI. 28, de or. 26; nusquam apud Caesarem, Curtium, Plinium minorem, Florum,

---

202) Semper fere dicitur *optimum factu*, semel quantum scio *factu optimum:* Solin. 38. 1. (Macrob: *scitu optimum*). *Factu facillimum* crebrius positum est, sed in positivo alter ordo dominatur.

203) Aliis locis cur sint praemissa, facile intelligitur, ut Verr. I. 12. 32: *ut dictu quoque videantur turpia* propter interjectum *quoque*; Timae. 2: *quod ne dictu quidem fas est* propter inserta *ne — quidem.* De Offic. II. 20. 69: *dictu quidem est proclive* sententia est: facile dicitur, non facile fit. De lege agr. II. 3. 16: *ego autem — hoc in loco dicam, ubi est hoc dictu facillimum.* Cujus collocationis causa est, quod antecedit *dicam.* —

alios. Livius quidem priorem locum his voculis crebrius concessit[204]). Plinius major neutrum praetulit ordinem. — Poetae alteram plerumque supinis sedem dederunt, ut Ovidius, qui bis tantum collocavit in priore Fast. III. 31 et Met. XIV. 496. — Rara haec est series: Cic. Phil. II 25: visu foedum et auditu; Juvenal. XIV. 44: nil dictu foedum visuque[205]); Hor. Sat. I 4. 115: vitatu quidque petitu sit melius. —

e. Nonnusquam supinis et adjectivis singula vocabula interponuntur, ut Cic de or. II 84. 343 jucunda *est* auditu, Caes. G. VII. 54: perfacile *esse* factu cf. Cic Verr. I 51. 126. — Frontin. aq. duct. 91: relatu *quoque* foedis. — Senec. de tranq. an. III 8: periculosum *etiam* ingressus. — Ovid ex Ponto II 3. 7: turpe *quidem* dictu cf. Appul. Apol. 466 p. 481. Tac. hist. IV. 84: mirum *inde* dictu. Cic. N. D. II 18. 47: pulchriora *dumtaxat* aspectu. — Plin. H. N. XVI. §. 250: rarum *admodum* inventu. Liv. XXX. 8. 4: nihil dictu *satis* dignum. Id. I. 59. 11: haudquaquam relatu *scriptoribus* facilia. Verg. Aen. III. 26: horrendum et dictu *video* mirabile monstrum. Plura etiam intercedunt; Verg. Aen. II. 680: subitum dictu*que oritur* mirabile monstrum. Cic. Off. I 45. 159: ut dictu *quoque videantur* turpia. Plin. H. N. XVI. §. 50: ut similis *etiam num* aspectu est Val. Max. VIII. 14. Ext. 1: cujus vox auditu *illi futura esset* gratissima. Plin. XXXI. §. 40: quae sunt haustu frigidissimae *non perinde et* tactu esse. Front. ep. ad. am. I 5. 5 N. p. 190: honestum*que sit et tibi* datu et sibi postulatu. —

f. Aliquoties adjectiva cum supinis connexa appositorum, quae in artibus vocant, loco enunciationibus adjunguntur,

α. perraro in clausula Plin. H. N. VII. §. 186: invenitur in actis Felice auriga elato in rogum ejus unum e faventibus jecisse sese, *frivolum dictu*. Item *mirum dictu* Ib. XXX. §. 144. —

β. Saepius initio: Liv. VII. 26 5: *dictu mirabile*, tenuit non solum etc. Ib. IX. 41. 18: *mirabilia dictu*, signa etc. Plin. H. N. VIII. §. 128: *mirum dictu*, credit. Curt. V. 13. med. *vix credibile dictu*, plures. — Id. IV. 7. med.: *incredibile dictu*, contecta est. Ovid ex Ponto II. 3. 7: *Turpe quidem dictu*, sed-si modo vera fatemur: | vulgus amicitias utilitate probat. Tac. hist. IV. 84: mirum *inde dictu*, tertio — Item Ann. II. 17, Plin. H. N. VI. §. 162, VIII. §. 169, XVII. §. 74. *Clarumque dictu*, a etc. XII. §. 111. Ejusmodi loci viam muniunt ad

γ. tertium genus creberrimum, cujus sedes est in parenthesi: Tac. Ann. I. 35: ac, *vix credibile dictu*, — hortabantur. Id. hist. II. 41: et, *mirum dictu*, — deterriti sunt. Latini Pacati paneg. Theodos. 21 fin. et, *novum dictu*, praesens desiderabatur. Ovid. Fast. II. 709: Ecce, *nefas visu*, mediis etc. — Tac. hist. II. 61: inter magnorum virorum discrimina. *pudendum dictu*, Mariccus quidam etc. Sic: ib. III 56: *prodigiosum dictu*, V 6: *mirum*.

---

204) Fere non dixit nisi: rem dictu parvam, dictu mirabile, auditu dignum, relatu facilia, dictu speciosa. Multo tamen saepius *dignum dictu*, quam *dictu dignum*, ut IX. 43. 6; semper *facile dictu*, *facile factu* aliaque permulta.

205) Terent. Andr. I. 5. I olim legebatur: hocine est factu humanum aut inceptu. Fleckeisen. 1857: h. h. f. a. i. —

dictu, ut Plin. H. N. IX. § 63, XV. §. 124, XVIII. §. 113 et 160, XXIII. §. 34. — *Credibile dictu* Curt. VIII. 2 fin., Plin. H. N. V. §. 73. XXXII. §. 41, XXXIV. §. 149, XXXV. §. 88. Solin. 36. 11.; *vix credibile dictu*: Plin. H. N. XVIII. §. 94. — *Foedum dictu* Plin. Ep. III. 14. 2; *foedum miserandumque* ib. VIII. 18. 9. Item Florus[206]) I. 4. (10) interposuit *immane dictu*, et saepe *horribile dictu, turpe dictu.* — Multa similia apud poetas epicos inveniuntur, ut *miserabile visu* Verg. Aen. I. 111, IX, 465; Ovid. Met. XIII. 422, *res horrenda relatu* ib. XV. 298, praetera *foedum relatu* s. *dictu, visu mirabile, horrendum dictu, visu.* Ex iis, qui oratione pedestri usi sunt, *ante Livium nemo* sic locutus esse videtur. Cicero quidem, quum quid ejusmodi inserendum est, inserit enunciata, ut pro Sest. XVII. 39: quod facile factu fuit, cf. pro Tull. §. 21. Pro Cluent. 71. 201: id quod difficile factu est; de leg. I. 19. 52: id quod turpissimum factu est. Talia ampliantur hoc modo: pro Cluent. 69. 195: id incredibile dictu est, sed a me verissime dicetur. Id. Verr. III 56. 129: incredibile dictu est judices: sed et factum et tota Sicilia pervulgatum. —

§. 79. Nusquam, si discesseris a substantivis quibusdam cf. §. 62, ulla locutio, quae supini alterius vices possit sustinere, cf. cap. XIV, una cum eo uni subjicitur adjectivo. Ne id quidem crebro fit, ut binorum adjectivorum una positorum alterum cum supino, alterum cum locutione vicaria sit collocatum, ut Val. Max. IV. 6. in.: velut opera percurrens *ardua imitatu ceterum cognosci utilia.* Plin. H. N. Praef. §. 12: *jucunda dictu aut legentibus blanda.* — Aquil. Rom. I: *necessarium dictu aut insuave audientibus.* Sed jam accuratius est de illis ipsis locutionibus disputandum. —

Caput XVI.

De iis, quae pro supinis in tu exeuntibus poni possunt.

Omissis Taciti locutione solitaria *pudet dictu* et illis *obsonatu redire*[207]) etc., dicemus:

I. De substantivis.

§. 80. 1. Ac primum opus est multo saepius cum participio perfecti passivi[208]) quam cum supino conjungitur omniumque creberrimum est opus

---

206) Crebrius tamen sola nomina eodem consilio inseruit ut *nefas* II 19. 20 etc o *nefas*, cf. Halm. praef. ed. 1854 p. IX. Horat.: heu nefas. — Nefas: Vergil., Statii Silv. II. 6. 3, et V. 3. 9; *pro nefas* Flor. cf. Halm. l c.; inc. panegyr (VIII) 5. 3. ut *pro pudor* ib. XIV. 3 et Florus cf. Halm, qui alia ejusmodi affert. Sic *horrendum* Sil. II. 585, *indignum* Ovid. Am. I. 6. 1.*e* Met. V. 37, *infandum* Verg. Aen. I. 251, *malum* Plaut., *mirum* saepe in Plinii H. N — *Nefas videre* Horat. Epod XVI. 14. —

207) *Pudet dicere* Senecae Epist. 75, 13; 97, 1, Flor. II 8, III 20, Minuc. Fel. XX. 11, cujus loco Statius silv. IV 3. 80 *pudet*, IV. 7. 35 *pudet heu* posuit; *pudet referre* Plin. H. N. 28 §. 116. — Cum altero dicendi genere comparanda sunt Verg. Aen VII. 700: sese *e pastu referunt*, id Geo. IV. 186 *e pastu-decedere*, Aviani fab.: *e pastu-rediret*, ut Colum. VII. 3. — Plauti Merc. V. 2. 10. redii exsilio cf. *aurigatione reversum* v. Ruddim. II. p. 262. —

208) Semel, quantum scio, adverbium, quod supino non praemittitur, additum est: Sall Cat. 1: *mature* facto opus est. Talia enim cum supinis non sunt comparanda, quale est Plauti Curc. II. 3. 23: celeriter mihi hoc homine convento opus est.

facto est[209]). Priscian. p. 1171. Putsch: *fieri opus est* et *facto opus est* confert cum hoc: *sufficit illis pransis esse et prandisse*, et *quomodo*, inquit, *illa, sic etiam ista participia pro infinitis verbis ponuntur.* In horum autem locum supina posse succedere idem aliis locis commemorat. Est tamen quod intersit; etenim quod *facto* opus est, tam strenue agendum videtur, ut jam fecisse debeas: contra *factu opus est* nihil aliud significat nisi *facere opus est.* Eodem modo pro infinitivo praes. pass. partic. perf. ponitur, ut *hoc factum volo, hoc factum oportuit* et quae §. 80. 2. B. fin. et §. 81. 1. A. d. commemoravi, cf. Madvigii diss.: de locis gramm. lat. Havniae 1837. Neque ab hac ratione alienus est ille perf. act. infinitivus praesentis loco (aor.) positus, velut: tendentes-imposuisse cf. Theodorum Schmidium ad Horat. Epist. I 17, 5 et 19, 48.

In hoc igitur genere, quod poetis comicis maxime placuit, ante omnia commemorandum videtur opus est facto Plauti Amph. I 3. 7, II 2. 144, Cas. III. 3. 24. Epid. II 2. 103, Merc. III 3. 4—5, Bacch. IV 2. 22, Poen. I 2. 106, Men. V. 2. 1, Stich. I. 2. 4, Trin. II. 4, 183; Terent. Andr. II. 2. 10, IV. 2. 32, Heaut. I. 1. 28, Adelph. III. 3. 75, IV, 3. 10; V. 9. 39, Phorm. IV. 5. 4, V. 1. 35, Hec. V. 4. 28. Pacuv. N. inaudire Ribb. 35, Turpil. N. numerum Ribb. 34. Lucr. V. 1053. Nec orationi prosae defuit: Caton. fr. 25 ap Gell. VI. (VII) 3. 14, Sall. Cat. 1 et 43 et 45 et 46, Caes. G. I. 42, Nep. Eumen. 9. Liv. I. 58, 5; III. 38, 4; IV. 27. 8; VI. 19, 4; X, 35, 5; XX1, 27, 3. Tac. hist. I. 62, Gell. XV. 22. Arnob. I. 62, Spartian. Jul. 8, Capitol. Max. duo 17. —

Reliqua participia[210]) literarum ordine promam: Accurato opus est Plauti Mil. III. 1. 210. Cauto id. Capt. II. 1. 29; Cist. II. 1. 55; Most. IV. 2. 22; Merc. II. 3. 133. Consulto Liv. XXVI. 10. 2, XLIV. 17. 1, Tac. hist. I. 62. — Dato Syri sent. 89 Both. p. 228. Dicto Ter. Phorm. V. 9. 14. (usus est dicto Plauti Trin. II. 4. 102.) Appul. Flor. II. 15. extr. Lactant. VI. 25. 14. v. Buenem. Exquisito Plauti Amph. II. 1. 81, II. 2, 159. Incepto Sall. Cat. 20. — Invento Plauti Bacch. II. 2. 41. Lato Cael. ap. Cic. ad. Fam. VIII. 8. 5. — Locato Caton. R. 2. Maturato Liv. I. 58. 5. III. 27. 7; VIII. 13. 7; XXXIV. 23. 9. — Muttito Ter. Hec. V. 4. 24. — Obvigilato Plauti Bacch. III. 2. 14, Parato Ter. Andr. III. 2. 43. Praecauto Plauti merc. II. 2. 6. Prolato Ter. Hec. I. 2. 29. — Properato Plauti Trin. III. 3. 78; Mil. III. 1. 210. Cic. pro Mil. XIX. 49. Praeter hoc nullum ejusmodi participium apud Ciceronem invenitur nisi quaesito Paradox. VI. 2. 46 ter; Plauti Curc. V. 1. 6, Gell. XIV. 2 16. — Scito Ter. Phorm. IV. 1. 18, Naev. ap. Fest. p. 170 M. Ribb. 65. Tacito Plauti Cist. I. 2. 10, Appul. Flor. II 15 extr. — Transcurso Ter. Hec. III. 4. 17 (*in arcem* t. opus est). Viso Plauti Capt. III. 1. 29. —

2. Jam eorum locorum conditionem, in quibus *opus, fas, nefas est* cum infinitivo conjuncta sunt, si consideraverimus, supino locum saepe non fuisse futurum

---

209) Commemoro similem locutionem *usus est* nusquam cum supino copulatam, Plauti Amph. I. 3. 7: citius quod non factost usus fit quam quod factost opus, cf. Stich. I. I. 56. Rud. II 3, 67. Ter. Hec. V. 4. 38, Andr. III. 3. 75. —

210) Bina concurrunt: accurato et properato opus est Plaut. — Facto magis quam consulto opus esset Tac. — Dicto quaesitoque opus est Gell. —

inveniemus. Est enim modo objectum, quod dicitur, cum infinitivo copulatum, velut Plin. h. n. 28 §. 65: quae *referri fas sit*, modo alia impediunt, ut Lact. de ira dei VII. 2: quod dici ab homine nefas est; Nep. Att. 21: nihil opus est pluribus verbis memorare cf. tamen §. 77 —

A. Infinitivus igitur aut passivus est, ut: *opus* sit sciri Cic. ad Att. VI. 3. 8, dici id. Brut. 529. 215; Cat. III. 10. 24, taceri Liv. IX. 37. 6.[211]). Si dici *fas* est Liv. XXIII. 42. 4; vix ut referri audirive nedum credi fas sit Suet. Tiber. 44.

B. aut activus: Quod scire *opus est:* Cic. ad Att. X. 3. — Coram qua neque dicere *fas erat* — neque facere Tac. de or. 28, cf. Ovid. ex Ponto IV. 8. 55 et 16, 45; negare Symmach. or. pro patre 6. Nieb. p. 44; credere Plin. H. N. XVIII. 19, Flor. I. 37 (III. 3.). — *Nefas* videre Horat. Epod. XVI. 14, dicere Cic. de leg. III 7. 16 cf. Appul. Met. II. 26 p. 107, credere Lact. de mort. pers. II fin., scire Ovid. Fast. III. 325. Hor. Od. I. 11. 1. —

Peculiarem locum obtinet: quod *fas* sit dixisse Plin. H. N. 28 §. 67. v. Latini Pac. Paneg. VI. 4, Statii silv. V. 3. 265 cf. §. 80. 1. et §. 81. 1. A. d. —

3. Denique *opus est* cum substantivorum in tio cadentium genetivis (cf. Quintil. XII. 3. 8 lectionis opus est) et multo saepius cum ablativis concurrit, sed quotus quisque locus est is, ut integra sententia supina ponendi futura fuerit copia? Neque enim haec propriam cujusdam actionis et quasi muneris, ut illa, obtinent significationem, cf. ut ex magna exemplorum copia duo eligam Quintil. II 11. 3: neque enim *opus esse probatione aut dispositione* in rebus fictis, sed sententiis grandibus, et ib. V. 7. 23: cura et *inquisitione opus est*. Idem dicendum est de substantivis in tura terminatis, ut *conjectura* Cic. pro Rosc. Am. 37. 10 et de quibusdam in tus finitis, ut Quintil. II. 5. 19: ad quem tamen intelligendum jam *profectu opus sit*, = profecisse cf. §. 81. 1. A. d. — Memorabilia haec sunt: Tac. hist. I 30: neque enim relatu virtutum-opus est[212]). Vitruv. X. praef.: opus est praeparatione diligenti et ingenii doctissimi cogitatu. Sic editum a Jocundo receperunt Rodius, Marinius, alii (cod. et ed. saec. XV: opus est praeparatio diligens et i-i d-i *cogitata*, pro quo Pontedera: *cogitatus*). Locus desideratur in thes. Forcell. et Klotzii. —

II. De iis, quae supinorum cum adjectivis conjunctorum loco collocantur[213])

§. 81. Hic eorum tantum rationem habebo, quae sunt cum adjectivis connexa aut ipsis ad supina adjungi solitis aut illorum certe simillimis. Neque com-

---

211) cf. Pomp. Mel. II. 3: clariores, quam ut *indicari egeant* cf. II. 4 in.

212) cf. memoratu retulerat Pomp. Mela III. 9. med.

213) Per se intelligitur, adjectiva quaedam, imprimis *facile* et *difficile* sola poni posse idem fere significantia, quod eadem cum supinis, ut Cic. Off. II. §. 86: praeteritas arbitror, quod essent *faciles* (h. e. intellectu), Verg. Geo. IV. 535: *faciles* venerare Napaeas (i. e. f. ad placandum) Petron.: Afrae volucres placent palato, quod non sunt *faciles* (sc. inventu sive paratu) cf. Sen. de tranq. an. I. 4. in. F.

memorabo ea, in quibus objectum, quod dicitur, aliaque quae supinorum refugiunt societatem, infinitivis addita inveniuntur. Primum igitur dicendum est:

I. De Infinitivo.

A. *De infinitivo activo.*

Is in hoc dicendi genere Graecis consuetus cf. Kruegeri gramm. Graec. §.55 adn. 7, nec Latinis insolitus

a. maxime comitatur adjectiva *facile* et *difficile*, v. Kuehneri gramm. lat. §. 130. 3. a. Sic: non f. est dicere Varron. L. L. IX. 167 Bip. cf. Cic. Verr. III. 91. 213. Ovid. ex Ponto III 5. 51 et IV. 7. 45, Quintil. III. 3. 35; ostendere Varron. L. L. IX. 164; demonstrare Lact. V. 22. 18; loqui inc. com. 38. Ribb.; affirmare Cic. de div. I. 55. 126; persuadere Tusc. IV. 31. 65; scribere ad Fam. I. 8. 1; comprobare Arnob. I. 6; expedire Lact. de opif. dei X. 22; scire Cic. p. Mil. in, ad Quint. III. 8. 5; noscere Ter. Ad V. 4. 8; Cic. Orat. LV. 183. Lucr. VI. 423, Censorin. de die nat. XX. 1; videre Cic. de inv. II. 9. 31, pervidere Lact. de opif. dei XI. 18; perspicere Cic. de or. I. 29. 132; judicare ad Fam. I. 7. 5. cf. Lael. 17. 62. Nep. Att. XII. 5 et XVI. 1; deprehendere Tac. de or. 18; reperire Quint. V. 10. 116; invenire Cic. de fin. III. 20. 66, Auct. ad Her. II. 18. 27 cf. IV. 50. 63; investigare Lucr. IV. 407; animadvertere Varron. L. L. VII. 119 et IX. 175; discernere Suet. Cal. 26, Solin. I. 48; experiri Appul. de dogm. Plat. 3. extr.; existimare Cic. Tusc. I. 24 extr., Suet. Oct. 57; credere Anton. ap. Cic. Phil. XIII. 7, Arnob. II. 26 et semel ap. Lucret.; opinari Plin. X. Epist. 106. 10; conjectare id. Paneg. 26. 7; perficere Cic. de or. II. 45. 190; pervincere Lucr. V. 99; periclitari Cic. de or. III. 36. 146; cavere Caes. G. I. 14; prohibere id. Civ. I. 50; custodire Syri sent. 187. Both.; exsolvere Lucr. II. 381; solvere Varron. L. L. VII. 105. —

